



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Capvt XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

**Prouerbio.** Prouerbum inde natum est q̄ illic  
habitarint sapientes homines & spiritu dei docti, se-  
cundum quorum consilium multi in Israël agere soliti  
sint.

**Nonne ego.**

In persona loquitur ciuitatis. Potes & sic legere. Ista  
est iusta & fidelis ciuitas in Israël, id est, quæ nihil  
peccarit & fidem regi & populo seruarit.

**Fuit autem.**

Ordinatio domus & aulae Dauidis rursus describi-  
tur, ut supra cap. 8. id quod ad pacificatum rursus rea-  
gnum pertinet.

**Sacerdos Dauid,**

Id est, magnus & primus in consilijs Dauid, seniore  
uulgo appellamus ut & græci, si contendas fuisse sa-  
cerdotem, libenter cedo.

**CAPVT XXI.**



Am tandem manifeste declarat ipse de-  
us toto Israëli, se uelle reliquias regni  
Saulis perditas, ut & ipsæ agnoscerent  
se morti obnoxias, & post hac non sese  
erigerent contra Dauidis regnum, præterea ut nemo  
amplius eas ut sæpe ante sequatur, ut uel hinc uideas  
quid in omnibus præcedentibus suo iudicio cõtra Sau-  
lem pro Dauide cogitarit deus, utq; uideas stabilitum  
à deo Dauidis regnum. Porro absq; intellectu es si hic  
moueris quæstionem num peccarit Dauid tradendo  
septem



septem filios Saulis, cum iniuriam sibi irrogatam non  
soleat vindicare. Dauid non tam ab hominibus roga-  
tur ut iustum faciat iudicium, quàm ab ipso deo urge-  
tur. Famem mittit deus, & consultus culpam reijcit in  
Saulis domum, datq; id mentis Gabaonitis, ut nullum  
postulent iudicium à iudice Dauide nisi sanguinis, &  
præterea hoc ipsum ita placet deo, ut fugata fame rur-  
sum det tēpora frugifera, Deus itaq; ista oīa fecit, & de-  
clarat toto Israēli, quàm impie egerit consentiēdo inē-  
quitatibus Saulis, & adiuuando eius sæpe reliquias.

De Gabaonitis lege Iosue. 9. qui iam innocēter age-  
bant inter Israēlitas, & seruibant eis, secundum Io-  
sue condemnationem, figura illorum qui populo dei  
ex gentibus erant accessuri. Quos ut hic dicitur Saul  
stulto zelo nihil meritos delere uoluit, & quosdā occi-  
derat, videbatur hic Saul habere pro se legem, sed for-  
te, ut solitus erat, sue consuluit cupiditati & ambitio-  
ni. simulare impij legē possunt, pro lege autē nihil fa-  
cere possunt. Et uel hinc accipe quā uoluerit fidem ser-  
uari deus Gabeonitis, quāuis fraude extorserit iuramē-  
tū, ne scilicet nomen dei blasphemaretur inter gentes  
&c. Præterea nō gentes nūc erant, sed profelyti &c.

Benedicatis,] Id est, bene precemini coram domē  
no &c. [Micha] .I. Reg. 18. Merob dicitur, fuit er-  
go binomia, habens quoq; nomen sororis, quæ erat ux-  
or Dauid. Alij aliter. Isti autem dicuntur filij Saul mo-



re scripturæ, quo progenitores patres dicuntur.

Rizpa, materna uiscera declarat &c. Quod autē dicitur. Donec stillaret &c. significat eos pependisse quousq; pluuia missa deus declararet famem remissam. Nec est contra legem Deut. 21. Deus enim legem statuit hoībus nō sibi, Is iussit istud iudicium fieri &c.

Et nunciata ] Solacium hoc erat matri Rizpa, & facit hic Dauid inimicis suis quod facere solet, ut uide re licet ex superioribus libris.

Factum est autē.

Hæc bella adijcit historia, in quibus rem fuisse Dauidi, scribit cum quatuor gigantibus de genere Rapha nobilis gigantis, ut uideas quid tentationis passus sit Dauid, dum uel timere cum oportuerit, uel præsens mortis periculum senserit, quid egerit pro eo dominus. Passus ergo est in: tus timores, foris pugnas, & à gentibus & à fratribus, sed non deseruit eum dominus. Ut non ignores quid in regno Christi agatur, cui insidiatur totus inferorum exercitus à dextris & à sinistris, & tamen crescit & in æternum est.

Adeodatus. Heb. vbi Elhanan filius Iaere Orgim Bethleemita percussit Goliath Geth.eum &c. ut non putes historiam esse alterius Goliath.

CAPVT XXII.